VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV IN CVRIA DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM, ET SCRIBANIA Ioannis Michaelis de Samper, Scribæ principalis eiusdem habito, & actitato, intitulato Processus Don Alphonsi Fernandez de Yxar, & aliorum, super manifestatione personarum.

IN Processu, & causa in Curia Domini Iustitiæ Aragonum, habito, & actitato, intitulato Processus Don Alphonsi Fernandez de Yxar, & aliorum, super manifestatione personarum, interuenientibus in Camera Consilij eiusdem Curiæ, Illustrissimo Dño Don Augustino de Villanueua, & Diez milite Maiestatis Dñi nostris Regis Consiliario, ac Iustitiæ Aragonum, & Illustribus Dominis Gaspare Lupertio Tarazona, Michaele Thoma Secanilla, Hieronymo Garcia de Benauarre, Hieronymo Torrero, & Didaco de Canales eius Locumtenentibus, existenteq; dicto & præintitulato processu in deliberatione super diffinitiua sententia in eodē ferenda. *QVATVOR ex dictis dñis Locumtenentibus fuerunt voti, & opinionis, quod debet pronuntiari liberationem supplicata per Petrum Morillo, Nicolaum de Sepulbeda, Petrum Iosephum de los Bayos, & Clementem Ludouicum Gil procuratores, locum non habere, cętera supplicatam locum non habere. EX EO, & aliàs liberatio pro ipsorum parte supplicata denegatur, quoniam manifestationis finis, tantum est assecurare, & in tuto ponere reum, ne aliquod illi grauamen inferatur contra ius, & leges Regni, non autem liberare reum à carcere pœnitus, nec auferre cognitionem ordinariam causę Iudicis

* Scilicet Domi[ni] Taraçona, Se[ca]nilla, Torre[ro], & Canales.

dicis capientis. Vnde manifeſtatio perſonarum ſimplex, quæ fit à poſſe Iudicum, (qualis eſt, ea, de qua in hoc proceſſu agitur) ex ſua natura, & inſtitutione, non eſt adecoata inſtantia, nec medium proportionatum ad liberationem capti, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus, ſed dumtaxat, ad retentionem, & conſeruationem perſonæ, etiam ſi nullitas capturæ obijciatur. Nam liberatio, manifeſtatione mediante, eſt quid proprium, & peculiare manifeſtationis per viam priuilegiatam, in qua de validitate capturæ cognitio vertitur, & in caſibus in quibus illa locum habet, captus vinculis ſoluitur, & in loco tuto ponitur. At verò in manifeſtatione ſimplici id dumtaxat agitur, vt retineatur captus, habetq; hic proceſſus notiſſimos ſuos terminos & exitus, nempe, aut renuntiationem, quo caſu, reus ad locum reſtituitur quo fuit abductus, aut ſententiam, qua manifeſtatio finitur. Cæterum, liberationem à carcere, manifeſtatione ſimplici mediante expoſcere, res ſanè noua, & mirabilis eſt, & principijs foralibus non bene cõueniens. Quare non obſtãt obiecte captionis nullitates (ſuper quibus pro nunc, nõ eſſe neceſſarium duximus noſtrum iudicium interponere) quia reſpondetur cognitionem ſuper nullitatibus, non pertinere, ad Iudicem manifeſtationis ſimplicis, ſed ad Iudicem primitiuæ captionis. Nam quemadmodum per interdictum de libero homine exhibendo (ad cuius imaginem manifeſtationem introductam fuiſſe noſtrates teſtantur) non amittitur Iudici cognitio de libertate, aut ſeruitute eius cuius exhibitio ab eo poſtulatur. Ita ſimiliter per manifeſtationem non infertur præiuditium Iudici primitiuæ captionis. Nec refragatur Iudicem manifeſtationis, ſubrrogari in loco Iudicis capientis. Quia reſpondetur huiuſmodi aſſertionem ciuili modo intelligendam eſſe, hoc eſt, quoad liberationem per viam priuilegiatam, vt ſupra diximus. Tamẽ in ſimplici manifeſtatione, tantum ſibi locum vindicat, quoad facultatem

cultatem relaxandi captum sub fideiussoribus,in criminalibus,in casibus à foro permissis.& in ciuilibus,quando debitum est offuscatum: verum quoad liberationem capti,minime gentium. Quæ omnia vsq.adeo vera sunt, vt cum lata sententia etiam nulla,manifestatio extinguatur, ad impediendam executionem, necessarium sit recurrere, ad manifestationem cum qualitate, vel iurisfirmam obtinendam, quibus captus nullatenus liberatur, sed impeditur sententiæ executio, apposita exceptione nullitatis. Nam captus (vt iam sæpe diximus) manifestatione mediante,aliter quam per priuilegiatam à captione liberari valet. In qua quidem manifestationis specie propter contumatiam Iudicis requisiti, & reum liberare recusantis, Iudex manifestationis in illius locum meritò subrrogatur,quod secus est, in manifestatione simplici, per quam minime amittitur cognitio Iudici capientis. Adeo vt etiã si ille incompetens sit,liberatio per viam simplicis manifestationis locum non habeat,veluti cum laicus à posse Iudicis Ecclesiastici manifestatur, qui quidem sub fideiussoribus relaxari solet,nullatenus verò à captione omnino liberatur, etiam si ille qui captum detinebat incõpetens sit. Vnũ ex hac regula casum excipimus, nempè quando his qui ob causam ciuilem capitur iurisfirmam præsentat,aduersus inhibitionem, quam obtemperare Iudex debuit,ad captionem procedere iussit, namq; hoc casu captum manifestatione mediante,etiam simpliciter liberari posse receptum est,siue ex eo quod præsentatio iurisfirmæ effectum habeat euocationis causæ, ac per consequens præsens Curia in locum primi Iudicis subrroguetur,siue ex eo quod captura post præsentationem inhibitionis subsecuta propter spretam inhibentis iurisdictionem,tanquam quid attentatum reuocatur,& captus pristinæ libertati restituitur, adeo vt etiam liberatio priuilegiata locum habeat. Non deniq; obstat captum ob causam ciuilem die in hono-

rem Dei, feriato, manifestatione mediante, sæpe fuisse vinculis ex solutum. Nam in primis respondetur, non esse exemplis iudicandum, sed ex iuris principijs dispositionum foralium. Deinde respondetur, quod cum offitialis Iudicis capientis non obseruat notorie in captura formam iuris, videtur absq; mandato procedere, quo fit, vt Iudici manifestationis, tanquam captum absq; mandato liberare manifestatum permissum sit, quod etiam alienũ est à præsenti processu. His igitur ex causis liberationem supplicatam locum non habere censemus, & aliàs atten. conten. ET insuper dicti Domini quatuor Locumtenentes addendo supradictis motiuis per eos præstitis fuerunt etiam ex sequentibus. EX eo etiam denegari dictam liberationem, quia exceptiones & causæ in quibus fundatur, sunt eædem ipse causæ & merita, quæ fuerunt ab ipsis proposita in accusatione criminali pro ipsorum parte oblata contra Illustrem Doctorem Augustinum de Mendoza Regentem Cancellariam præsentis Regni. Quo fit, vt præsentis causæ cognitio non aliter posse decidi quam si declaremus, etiam iustitiã processus dictæ accusationis, & aliàs Attent. Cont. [b] ET ALIVS ex dictis Dñis quinq; Locumtenentibus fuit voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & liberare personas Egregij Don Alphonsi Fernandez de Yxar, & Don Augustini Terrer de Valenzuela principalium, Petri Morillo, Nicolai de Sepulbeda, Petri Iosephi delos Bayos, & Clementis Ludouici Gil proc. à captione qua indebitè detinentur, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere. EX EO, & aliàs, mandamus liberari personas Egregij Don Alphonsi Fernandez de Yxar, & Don Augustini Terrer de Valenzula principalium, Petri Morillò, Nicolai de Sepulbeda, Petri Iosephi de los Bayos, & Clemẽtis Ludouici Gil proc. à captione indebita, qua detinentur. Quia ex deductis in processu

b Scilicet D. Garcia de Benauarre.

cessu constat, Thesaurarium generalem Dñi nostri Regis per Regiam Audiẽtiam præsentis Regni appellitasse, mediante appellitu executorio, & captionario de Illorũ personis, vt Diputatis præsentis Regni Aragonum, anni proxime præteriti, prætextu negligentiæ in recuperatione seruitij Regalis concessi per dictum Regnũ in vltimis Curijs. Et secundum forum, & obseruantias, [c] à quibus nos recedere non possumus, Dominus noster Rex (salua Regiæ maiestati debita semper fide, ac reuerentia seruata) non potest cõstituere in præsenti Regno plures, vel diuersos procuratores suos fiscales, sed tantũ potest facere vnum procuratorem suum fiscalem; qui tàm in agẽdo, quàm in defendendo faciat partem. Et per consequens dictus Thesaurarius generalis nullã, potuit exercere actionem pro Dño nostro Rege. Sicq; dictus appellitus captionarius deficit in salutari, cum non sit prouisus ad instantiam partis legitimæ, quia pro iuribus regalibus agit [d] procurator fiscalis. Neq; obstat si dicatur, quod per forũ anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi, sub Rubro *de la exaccion de las rentas y drechos Reales*, est dispositũ, quod Thesaurarius generalis recuperet iura in dicto foro expressa: ergo dictus Thesaurarius fuit pars legitima, ad obtinendum præsentem appellitum. Quia respondetur, vno & altero medio. Primò, dictus forus iam declarat taxatiuæ, quæ exhigere debet dictus Thesaurarius, scilicet *los derechos de las Cenas, de Absencia, Alimẽtacion, Primogenitura, y Cauallerias.* Sicq; ad alios casus protrahi nequaquam potest. Secundo, quia in dicto foro solum est dispositum, quod in contumatiam obligatorum in non soluendo iura ibi mencionata in præsenti Ciuitate, contra illos executio priuilegiata fiat; sed ad cuius instantiam hoc fieri debeat, non dicit forus: Sicq; debemus recurrere ad dispositionem aliorum fororum, quod scilicet fiat ad instantiam Procuratoris fiscalis, quia solus iste cognitus est

per

[c] Obser. Item in ...gonia, tit. in... qual. & in ...co de in ius ...for. 1. & 2. ...proc. fisc. Molina ...b. Rex, vers. Do... Rex salua clementia, fol. ...3. col. 1. & ...procurator fiscalis, fol. 273. col. ...Sesse de Inhibi. c. 4. §. 7. nu. 48.

[d] Sesse de inhibi. c. 4. §. 7. n. 47. & 48.

per forales sanctiones ad recuperanda Regia, & patrimonialia iura. Deficit etiam prouisio dicti appellitus ob defectum Iudicis, quia Regia Audientia, est Iudex incompetens ad illius prouisionem: dispositum enim est, ad conseruationem totius Regni, & vt magis elucesseret, amor, obedientia, & debita fidelitas Aragonensium erga suos dilectissimos Reges, quod magistratus Iustitiæ Aragonum esset Iudex medius, secundum legem quintam [e] Sobraruij, vt in dicto suo tribunali agerentur, tàm in agendo, quàm in defendendo omnes causæ, inter Regiā maiestatem, & suos subditos, quod enim est dispositum per nostros foros [f], & obseruantias, iteratis vicibus, verbisq; taxatiuis, vt videre est apud *Molinam, & Bardaxi.* Nostrates que inter præheminentias, & prærrogutiuas huius supremi Tribunalis Iustitiæ Aragonum, vt maiori enumerant præsentem, de qua est sermo, fulcitā, & corroboratā tot foribus, & obseruantijs, quod forte nulla alia reperietur, tàm munita & fortificata. Vnum tamen casum à præsenti generali regula excipimus, quādo procurator fiscalis, non principaliter, [g] sed adhærendo, vel opponendo in aliquo processu facit partem, quia tunc non solum in præsenti Curia, sed in qualibet alia, poterit conquæri, & isto casu excepto, in omnibus alijs procurator fiscalis, tantum modo in præsenti Curia potest facere partem. Non obstat deniq; quod finis processus manifestationis sit assecurare, & in tuto ponere reum, ne contra ius, & Regni leges aliquod grauamen inferatur, sicq; pręsens processus, non est aptus, nec adęquatus, ad tractandum de huiusmodi liberatione. Quia respondetur, quod per manifestationem personarum pręsens Curia subrrogatur [i] in locū Iudicis ordinarij, ad aliquos fori effectus, vt videre est, dando manifestatos ad capleutam pro libito voluntatis suæ, non solum in criminalibus, verum etiam in ciuilibus, quando debitum est offuscatum [k], vt sępe sępius, iudicatū fuit. [l] Quod si repugnaret

e l.5. Sobrar. Iudex quidem medius adesio Blanc. in commen. fol. 26. 27. & 28. Pet. Lu. Marti. in causa Pro regis, n. 76. & 90. Carrillo in suis Annal. fol. 171. punctim Sesse de inhi. c. 1, §. 1. nu. 9.

f Obser. Item de omnibus 12. de prim. Mili. d. Obser. item in Aragonia 10. interp. qual. for. licet de proc. fisci, for. 2. de offi. Iusti. Arag. for. quod Inhib. Ius. Arag. Molin. verb. Iustitia Arag. vers. Iusti. Arag. est Iudex fol. 202. & verb. Rex, vers. Dñs Rex, si litigat, fol. 294. col. 4. & verb. libertates, ver. de libertatibus Regni, fol. 209 col. 3. ad fi. Barda. in prælud. de offi. Ius.. Arag. q. 5. ver. in eo, fol. 106. col. 3. & vers. quædam sint causæ, fol. 102. col. 2. Sesse de inhi. c. 1. §. 1. n. 20. Rami. de lege Regi. §. 20. n. 73.

g For. 2. tit. de proc. fisci, Molin. verb. proc. fiscalis, vers. procuratores plures generales, fo. 273. col. 1. & verbo Rex, vers. Dominus Rex si litigat, fol. 294. col. 4. & in vers. Dominus Rex salua sua clementia.

i Barda. super for. 15. ver. circa facultatem dandi, tit. de off. Ius.. Arag. Ses. c. 5. §. 1. n. 27.

k Sese decis. 130. y 265. Monter. decis. 7. Portol. verb. capleta. n. 20.

l In processu Ioannis Medrano sup. manifesta. personæ 19.. Apri. 1626. & in proces. Andreæ Celaya, & alterius, sup. manifesta. personæ, 1. Septem. 1579.

naret naturę dicti processus, non posset. Augetur solutio, quia pręsens Curia est asillum, & tutamen agrauatorum, & nullus magis agrauatus, quam qui nulliter captus est, nam existente captione, ex aliquo deffectu nulla, captus relaxari debet,[m] non per viam priuilegiatam, quia in ciuilibus, nisi adsit pręsentatio iurisfirmę, illa non procedit; ergo venit simpliciter liberandus, vt vidimus pluries [n] pronuntiatum fuisse, liberando manifestatos, captos, in diebus in honorem Dei sacratis. Et si hoc procedit, quia videtur officialis Iudicis capientis, sine mandato captum cępisse: eadem ratio militat in alijs nullitatibus, Etsi sententia, quę ex aliquo deffectu, est nulla non dicitur sententia, nec sententię nomen meretur,[o] multo magis captura nulla, quę damnum irreparabile secum ducit. Hoc receptissimum inuenimus, apud nostros antiquos, & credendum est, fuisse fororum obseruatores,[p] Et quamuis legibus, & non exemplis iudicandum sit, verum quando quam pluries iudicatum est,[q] fere nomē stilli [r] meretur. Maximè si adsit copia prudentium, quia pręsumitur inuentus [s] a peritissimis Iurisconsultis. Et tandem si contra finem, & naturam processus manifestationis esset liberare captos a carceribus, nullatenus præsens Curia eos posset liberare pretextu cuiusuis nullitatis. Ad qui contrarium inuenimus, ergo iuridice, censemus liberandos esse simpliciter, & aliàs atten. conten.

SIG✠NVM mei Ignatij Camon in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati publici, Apostolica vbiq; Regia verò per totum Regnum Aragonum auctoritatibus Notarij, ac Secretarij substituti Cameræ Consilij dicti Dñi Iustitiæ Aragonum, qui huiusmodi vota, & motiua, à suo originali libro dicti Consilij de anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, in quo continuata existunt aliena manu extraxi, comprobaui & signaui. Cōstat de rasis enmendatis vbi legitur.

[m] Port. in trac. de priuili. §. 12. .10.

[n] Port. in d. trac. .n. 31. qui tra- multa exempla ., & vltra illa in procesf. Paschas. Pe ., sup. manifesta. perso. 3. Iulij 1627 procesf. Magnifici Ioannis Ferriz, sup. manifesta. perso. 3. august. 1591.

[o] .4. §. condemnatum, vbi DD. ff. de re iudi. Bardel. cōs. 78. nu. 3. lib. 1. & cons. 152. num. 42. lib. 2. Surd. cons. 360. num. 41. Sesse decis. 356. n. 1.

[p] Sese decis. 209. nu. 23.

[q] Rami. de l. Reg. §. 20. nu. 32. Surd. decis. 29. in fin.

[r] Bar. in l. de quibus, ff. de legi. l. obseruandum, ff. de .di. idē Bart. in l. .speritus, ff. de excus. tut.

[s] Portol. in verb. .ylus, nu. 1. & 2.

legitur, capie, vi, & de enmendato, titueri, & de virgulato inter dictiones, positum, quod, constat etiam de supra posito vbi legitur, cis, & de enmēdatis, unt, tum, haren, cuiuscuis & de virgulato inter dictiones, fundantur, eadem.